

2
OBSERVATIONES

I N

QUINQUE EPISTOLAS

QUÆ

CIRCUMFERUNTUR NOMINE

UNIVERSITATIS

SALMANTICENSIS,

AC PRETERIM IN QUINTAM

Scriptæ ad illos à quibus legitur pri-
ma subscripta.

1717

1880

The first part of the report is devoted to a general
 description of the country and its resources. It
 is followed by a detailed account of the
 various industries and occupations of the
 people. The report then proceeds to a
 description of the climate and the
 diseases which are prevalent in the
 country. The last part of the report
 contains a list of the principal
 towns and villages in the country.

OCCASIO, RATIO

ET SCOPUS OPERÆ

MIRABAR equidem, nec patienter ferebam quòd vigilantissimus Sacræ Facultatis Parisiensis Syndicus, nec de Epistolis nomine Salmanticensis Studii editis retulisset ad comitia habita diebus 9. & 19. Septembris, nec aliqua confutatione ac responsione ad Magistros Salmanticenses prosecutus fuisset. Sed ex quo audivi Congregationem generalem de re omni ab ipso Calendis Octobris certiore factam, atque gravi oratione suspicionem fraudis injectam fuisse certo hominum generi nihil non moliri solitorum, ubi de se agitur, eaque ratione illam comprobata, ut etsi Litteræ Salmanticæ reverâ profectæ fuissent, nihil pretii aut roboris conferre possent in Constitutionem *Unigenitus*; laudavi D. Syndici sapientiam, qui nec temerè fidem adhibuisset famæ his temporibus mendacissimæ, & ab æmulis plurimo studio promotæ, nec omnino à confutatione abstinuisset. Optabam præterea ut in Congregatione generali obtinuisset ea plurimum Magistrorum sententia, qui D. Syndici orationem typis edendam censuerant. Sed cum ejus modestiam vel per amicos expugnare non possem, ut orationem ipsis denuò recitaret ac legendam exhiberet, mihi expectandum statui, donec illa saltem aliqua ex parte prodiret à Magistris, qui quæ in comitiis aguntur &

dicuntur, singulari studio ac fide colligunt. Nec meam spem eventus sefellit. Obtinui denum à benevolo studiorum moderatore, ut quam orationis partem gallico idiomate penes se habebat, in paucas horas accommodaret; mox aliundè & latinam recepi. Unde & mihi visus sum certò accepisse non solum quod in Epistolas dictum est à Syndico, verum etiam bonam partem verborum, quibus usus est. Hinc & visa mihi est aperta ratio qua de Epistolis, quod pridem proposueram, differerem, cùm indicaret oratio egregia Hispanicæ Ecclesiæ monumenta, unde unà illæ & confutarentur & *vobiscum* arguerentur, quæ apud Synodos & Annales Hispaniæ facillè occurrerunt. Voti compos provinciam reponendi ad Epistolas in me suscepi: in quo nihil à me præstitum quàm quòd brevissimè indicatos à D. Syndico canones ac testes magna ex parte retuli, quæque ab eo compendiosius observata, fusiùs exposui. Et quò intelligas, benevole Lector, quid hac in re debeam D. Syndico, quid ipse mihi, rem præterea gratam facturum me duxi, si orationis ab ipso habitæ, ac meæ operæ synopsis qualem accepi, tibi ob oculos ponam.

„ D. Syndicus retulit (1. die Octobris)
 „ circumferri quinque Epistolas nomine
 „ Universitatis Salmanticensis, quæ omnes
 „ eò spectant ut credantur falsi esse rumo-
 „ res qui in Urbe sparsi sunt de reproba-
 „ tâ Salmanticæ Constitutione *Unigenitus*;
 „ harum unam inscribi ad illustrissimum
 „ Collegium Sorbonicum; sibi tamen non-
 „ dum

„ dum hætenùs allatam hanc fuisse cum
„ autenticitate ac solemnitate quâ deceret.
„ In illis verò Epistolis nihil occurrere
„ quod attineat nominatim ad Sacram Fa-
„ cultatem, aut quod aliquantùm juret de-
„ cretum Pontificium: primæ quidem sub-
„ scripssisse viros novem qui se dicunt Sal-
„ manticenses, nullam munitam esse sigil-
„ lo Salmanticensis Universitatis, nec in
„ aliqua legi quòd illius jussu vel nomine,
„ vel præmissâ congregstione ac delibera-
„ tione scriptæ fuerint, vel designari ali-
„ cujus Carmelitæ & Dominicani nomen,
„ quanquam utriusque Ordinis homines bo-
„ na ex parte illam Universitatem confi-
„ ciunt. Præterea tam supinâ laborant in-
„ scitiâ eorum quæ hic, quæ in Hispania
„ aguntur, aut recepta sunt, ut incredibi-
„ le sit non solùm à Salmanticensibus The-
„ ologis non esse scriptas, sed ne ab Hispa-
„ no quopiam, quum gens omnis sagacis-
„ sima ac prudentissima ubique sit. Et
„ verò à verosimili penitùs adhorrere, quod
„ narrant Litteræ, scilicet vigere hunc a-
„ pud Hispanos morem, ut propositæ per
„ Inquisitorem Generalem cuivis Conti-
„ tutioni Pontificiæ paratissima sit ubique
„ obedientia: morem enim hunc non esse
„ avitum ac primævum illum quem pro-
„ posuere Synodi Toletanæ I. & II. &
„ secutæ, ac commendavere XIV. & XV.
„ probantibus quoque aut etiam efflagitan-
„ tibus Gregorio Magno, Leone II. Be-
„ nedicto II. & Sergio I. Sixtum IV. cum
„ de Petro de Osma ageretur, effecisse
„ ut de hujus erroribus Toletanus Archie-

„ piscopus conquireret, ac sententiam pro-
 „ ferret. Mox cum Concilio familiari &
 „ frequenti Consistorio, præmissâ præte-
 „ rea diuturnâ deliberatione, iudicium tu-
 „ lisse, ac diplomâ in dictos errores con-
 „ ditum destinasse ad Archiepiscopos &
 „ Episcopos Hispaniæ. Et in promulgan-
 „ dis Tridentinis Decretis Philippum II.
 „ usum non fuisse operâ Inquisitoris Ge-
 „ neralis, sed secundum totius Ecclesiæ
 „ mores & canones curavisse, ut ipsis quo-
 „ que Episcopis autoribus, quorum usus
 „ consilio uti Synodi frequentes agerentur
 „ in Belgio, in Longobardia, in Sicilia,
 „ in Hispania, in America: neque verò
 „ aliquando acceptatam in Hispaniæ ditio-
 „ nibus Bullam *In Cena Domini*; imò eun-
 „ dem regem vehementer excanduisse in
 „ Nuntium qui publico in foro proposue-
 „ rat. Ita demum sentire ac docere Juris-
 „ peritos Hispanos, nec secus factitari in
 „ ditionibus plerisque obnoxiiis Hispano-
 „ rum dominationi: ita sentire vicinas gen-
 „ tes; nec ab ullo homine, aut ullo more
 „ transferri posse jus quod Episcopatus pro-
 „ prium est, in alios Magistratus, aut eo
 „ posse destitui Episcopos; itaque potesta-
 „ tem illam Inquisitori Generali tribui non
 „ potuisse vel posse. Adjecit D. Syndi-
 „ cus nihilo verosimilius videri, ut providi
 „ Salmanticenses dixerint Epistolâ tertiâ sibi
 „ acceptissimam accidisse nuperam Consti-
 „ tutionem, quam quintâ profitentur nequi-
 „ dem ad se fuisse allatam; nec aliunde se
 „ motos ad edendam tuam declarationem,
 „ quàm ex rerum novarum nuntiis Amste-
 „ „ 10-

3, lodamensibus. Præterea incredibile vi-
3, deri quòd Salmanticenses scripserint die
3, 19. Augusti an. 1716. ad Eminentissi-
3, mum Cardinalem de Bossuet Episcopum
3, Meldensem, ceu ad vindicem Consti-
3, tutionis; qui ab annis suprâ duodecim
3, diem ultimum clausit, nec purpuram
3, Romanam ornavit, & libro unde excerp-
3, tæ 101. Propositiones patrocinium quo-
3, que præstitit: ac multò maximè præpo-
3, siteram esse authorum Epistolæ diligen-
3, tiam, qui de Hexaplorum proscriptione
3, vix ab anno edita, gratulantur eruditissimo
3, Præsuli ab annis ferè tredecim mortuo.
3, Denique abhorrere à more hominum,
3, non planè barbarorum ac ferorum, qua-
3, les Hispani minimè esse solent; ut ma-
3, gnatibus viris ceu digna laude proponant,
3, unde hi ipsis continuo succenseant: por-
3, rò quatuor primis Epistolis quæ dicun-
3, tur Salmanticensium ad Cardinales duos.
3, Archiepiscopum unum Gallos; ad Col-
3, legium Sorbonicum contineri ea peregrinæ
3, doctrinæ capita, quæ Gallus quis-
3, que, maximè qui in scholis Parisiensibus
3, eruditus, ne objecto quidem vitæ peri-
3, culo probare possit, nedum aliàs admit-
3, tere; quod à Cardinali à Lotharingiâ in
3, Conciliò Tridentino prolatum adversus
3, artes Curia Romanæ, his quæ ferent lit-
3, teræ, magis tolerabilia obrudere ten-
3, tantis.

REVERENDISSIMIS

E T

CLARISSIMIS VIRIS

A quibus subscriptæ Epistolæ quæ
dicuntur Salmanticensis Uni-
versitatis.

PLURIMAM SALUTEM.

AD vos unos, Viri Reverendissimi, spectabit epistola omnis, si tamen vestræ sunt epistolæ illæ quinque, quæ sub inclito Salmanticensis Universitatis nomine circumferuntur, & syngraphæ quibus munita est prima quæ ad Pontificem Maximum inscripta: sin autem neutræ vestræ sunt, sed assumptæ confictæve personæ quibus tribuerentur, cum larvis tamen non luctabor, siquidem mea responsio pertinebit ad eos in quorum manus illæ pervenerunt, apud utrosvis disceptaturus maximâ ex parte de postulatis seu potius de inani- bus commentis, quibus æque nituntur quinque litteræ: quæque contrâ proferam momenta liquido efficient, vel epistolas non fuisse scriptas à Magistris Salmanticensibus, quod è vestri nominis gravitate, & gloriâ maximè fuerit; vel nullius pretii apud Ecclesiam censerî debere istam cœci obsequii religionem, quâ præfertis amplexos vos fuisse Constitutionem *Unigenitus*, atque

que in posterum cæteras perinde indiscriminatim amplexuros fore : nec verò aliquid præsidii inde accidere posse diplomati Pontificio. Confido autem quòd illa omnia haud difficulter præstiturus sim.

Cæterum boni & æqui obsecro consulite, ut unus qualisqumque sim ex iis qui in Sacra Facultate Parisiensi Licentiæ gradum adepti sunt, almæ matris loco agam apud vos, nominatim de epistolâ quæ fertur ad ipsam per vos conscripta, ne fortè imperitis hominibus ipsa videatur suam causam deseruisse; si quæ ipsi vestro nomine ex obliquo objecta, non diluantur, aut nobis penitus conticentibus, inurbanitatis & conscientiæ ab æmulis infimuletur.

Equidem vix ac ne vix possum in animum inducere, ut credam epistolas à præclarissima Salmanticensium Universitate scriptas fuisse. Nam præterquam quod nonnisi una, quæ ad Summum Pontificem, à vobis subscripta legitur; nec ibidem profitemini, aut à vobis ritè referri egregiam Universitatem, aut illius nutu jussuve vos scripsisse, aut congregationem aliquam, aliquam deliberationem vestris litteris prælusisse, præterquam quod nec ullius è Dominicanis, ullius è Carmelitis, qui vestri collegii pars & gloria maxima semper habiti, nomen & syngrapha occurrit : tam aperrè omnes in universum pugnant cum Hispanicæ Ecclesiæ moribus tum recentibus tum antiquis, tam fœdè dissident ab unanimi cæterarum Ecclesiarum consensu, tam supinâ laborare videntur rerum nostrarum vestrarumque incitiâ, ut cordatissi-

mis viris Hispanis citra injuriam affingi posse, minimè videantur. Et vix conijcimus quidem ad quos pertineat quinta Epistola, quæ ad *multum illustre Collegium Sorbonicum Universitatis Parisiensis directæ*, quamquam dicatur cum illo Salmanticensis Universitas societatis vinculo conjuncta. Salmanticensem quidem Universitatem cum Parisiensi cæterarum matre ac principe conjunctissimam fuisse novimus universi; cum Collegio autem Sorbonico, quod Universitatis Parisiensis exigua pars est, quamquam non ultima, societatis foedere collegatam aliquando fuisse, nulli novimus.

Narratis ad scribendum vos motos fuisse ex rumoribus qui de reprobata per vos Constitutione *Unigenitus* sparsi heic sunt, & isthuc usque hinc relati; nuntiis scilicet rerum novarum Amstelodamensibus. At quis modò Salmanticensium sagacitatem & providentiam norit, concedat illos ex tam incerta, tam levi fama adductos ad tam grave negotium suscipiendum, monente Ecclesiastico: *Qui credit citò, levis corde est & minorabitur*: nec verò nos fidem aliquam rumoribus habuimus, aut inde præsentem causam multum juvari in alterutram partem posse censuimus, itidem monente Salomone: *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes*. Sparso apud nos rumori de vestris consiliis eominus creditum à nobis est, quòd & mendacem esse suspicaremur, & novissemus artes quorum intererat, ut sparsus fidem obtineret.

At plurimum miramur foedam incogitan-

Ecclesiast.
19. 4.

Proverb.
19. 4.

tantiam ac supinam negligentiam eorum, quorum primo instinctu tertiam Epistolam inscripsistis ad illustrissimum & nunquam intermorituræ in regno, in Ecclesia memoriæ D. de Bossuet, ceu adhuc in vivis superstitem & Cardinalitiâ purpurâ fulgentem, nec minus Constitutionis accusatum vindicem, quàm fidei catholicæ adversus heterodoxos propugnatorem acerrimum, qui jam ab annis circiter duodecim è vivis excesserit, nec purpuram Romanam aliquando ornaverit, qui & libro per Constitutionem notato præsidium tulerit. Ecquis non fannis dignissimam, & multo præposteram putet esse auctoris epistolæ diligentiam, qui de proscriptis vix à mensibus decem *Hexaphis* gratulatus sit doctissimo Præsuli ab annis supra duodecimvitâ functo.

Quid de postulatis quibus in universum nituntur Epistolæ vestræ, ac nominatim quinta quæ ad Collegium Sorbonicum, Galli sentiant, quibus probè compertæ sunt Ecclesiæ Hispanicæ politia, & eximia inclitæ gentis indoles, finite ut ad vos paucis rescribam, eâ fide quæ veritatem, eo candore qui Gallum, eo erga Sedem Apostolicam studio, quod Ecclesiasticæ pacis amantem, eo erga supremam autoritatem Ecclesiæ parato intellectus obsequio, quod maximè Catholicum decet.

Ferunt Epistolæ, hunc esse Hispaniæ morem, ut quælibet Sedis Apostolicæ Constitutiones ab Inquisitore Generali promulgentur, quo solo titulo certa illis obedientia ab omnibus præstanda sit: supponunt præterea quæ Romani Pontificis nomen

men

men præ se ferunt, easdem & Apostolicæ Sedis esse, ac obsequendi necessariam legem omnibus præscribere.

Quæso vos, Viri Clarissimi, eane avita, antiqua, primæva Hispaniæ consuetudo sit, an recens aliunde adducta & præscripta; adeo ut summam illius auctoritatem cense-ri oportere nemo Catholicus, nemo Hispanus inficias iverit. Atqui si Canones Toletanos quibus constituta Hispanicæ Ecclesiæ politia, si mores ad hanc usque diem apud vos religiosè servatos attenderitis, fateamini necesse est, & novitiam prorsus esse quæ uni Inquisitori generali supremas promulgandarum Constitutionum partes assignat, aut assignatas supponit; quorum alterum non ferendæ juris Episcopalis usurpationi, alterum supinæ rerum Ecclesiasticarum ignorantia referendum; utrumque à Salmanticensium Theologorum celebratissimâ ubi vis terrarum eruditione & religione, perinde ac à veritate alienissimum.

Nam cum fidei commoda defensio, regulæ & causæ omnes communes sint omnibus, sapientissimè constitutum est à Patribus Toletanis (a), ut illæ non unius ho-

(a) A nobis universaliter definitum est... ut si causa fidei est, aut quælibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ & Galliæ Synodus convocetur: si verò nec de fide, nec de communi utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque Provinciæ, *Conc Tolet.*

IV. c. 3.

Pro

hominis sollicitudini, non unius provinciæ iudicio permitterentur, sed omnibus Episcopis convocandis ad Concilium generale quod ex omnibus amplissimæ Monarchiæ ditionibus ageretur. Quare cùm de acceptatione sancitæ in sextâ Synodo œcumenicâ regulæ fidei deliberatum est, Agathone, Leone II. Benedicto item II. vehementer expetentibus, religiosissimi ac iurium Ecclesiasticorum tenacissimi Præsules negotium hoc sibi universis incumbere (a), & hujus occasione in Concilium Generale coeundum ex Canone Toletano sentiebant (b). Verùm quod obstant regni publicæ rationes, tempestatis inclementia, sollicitudo Ecclesiarum quibus

Pro tantæ rei negotio pertractando (scilicet suscipiendæ fidei regulæ editæ in VI. Synodo generali) generale Concilium fieri oportebat. *Conc. Toletan. XIV. in Pref. c. 3. c. 5.*

(a) Gratiioso epistolæ tractû ad hoc omnes præsules Hispaniæ invitati sumus, ut prædicta Synodalia instituta (VI. Synodi œcumenicæ) quæ miserat, nostri etiam vigoris manerent auctoritate suffulta, omnibusque per nos sub regno Hispaniæ consistentibus patefcerent divulganda. XVI. c. 2.

Idipsum legere est in epistolis Leonis II. ad Ervigium Regem, ad universos Episcopos Hispaniæ, ad Simplicium Comitem.

(b) Nunc nobis id operis restat, ut juxta canonum spaciæ decretum, quo Concilium generale pro fidei causis aggregari præcipitur, utraque operum gesta (Concilii VI. generalis) & Synodico dirigantur examine, & discretâ Conciliorum fulciantur auctoritate. *Ibid. c. 4.*

bus vix dum redditi erant ab altera Synodo recens habitâ, visum est celebrandas esse per singulas provincias ea ratione, quæ à Toletanæ legis scopo non omnino abluderet. Nimirum ut cum Episcopis provinciæ Carthaginensis Legati à cæteris Metropolitibus Toletum convenirent, & facto Concilio definitionem fidei nuper Constantinopoli etiam unâ cum acclamationibus, quas rex & universi præfules à Leone II. acceperant, maturè conferrent cum Decretis Synodorum Hispanicæ Ecclesiæ acceptarum, ac probatas sua quoque fulcirent autoritate; quod autem Toleti factitatum fuisset, Legati referrent ad suas provincias, eodem quoque suo jure usuras ac probaturas si luberet.

Nec verò sine prævia diuturna que deliberatione res Toleti confecta est, sed eximium Ecclesiasticæ disciplinæ & libertatis editum est decretum, quod posteri similibus in causis sequerentur: nempe frequenti Synodo, quas gestorum à Concilio (a) Constantinopolitano partes Leo miserat, diligenter expenderunt; cum Conciliis quæ probabat Ecclesia Hispanica contulerunt; quod his consonarent (b) admiserunt; Syno-

(a) Quo prædicta Synodi (VI.) gesta vel nostræ partis responsa, & digno probitatis demum decoquantur iudicio, & Synodico laudabili illustrentur stylo. *lb. 5.*

(b) Ideo supradicti acta Concilii (VI.) in tantum à nobis veneranda sunt, in quantum à præmissis Conciliis (Chalcedon. Ephesino, Constantin.

nodum Constantinopolitanam quatuor primis generalibus (c) accensuerunt; quòd autem nondum quintum admisissent, Chalcedonensi proximè adjunxerunt; mox scripto mandaverunt relationem ad SS. Pontificem faciendam unà cum rerum à se gestarum monumentis; denique quod à se constitutum erat, in singulas Ecclesias promulgandum statuerunt, quo ad omnes ditionis Hispanicæ cleros & plebes perveniret. In quo quidem id à vobis, Viri Clarissimi, observatum imprimis velim, quàm in causa illa religiosissimi præfules non cœcos & morigeros executores agerent Conciliarium aut Pontificiorum decretorum; sed genuinos ex Episcopatus potestate & Ecclesiæ vestræ, imò universæ, consuetudine ac lege, judices, de argumento in quo Synodus Constantinopolitana versata fuerat: ab iis & de ipsa diligenter conquistum, & suæ consensionis accessu comprobatum; adeo ut liquidò pateat ab ipsis adhibitæ, & maturitatem examinis, & judicii auctoritatem. Quam optata summis Pontificibus, quàm accepta Episcoporum vestrorum conspiratio in fidei normam à sexto Concilio œcumenico propositam testantur, & Pontificiæ ad ipsos Epistolæ, & vestri Annales.

Hunc

Constantinopolitano I. Nicæno) non discedunt, imo in quantum cum illis concordare videntur. *Ibid. c. 6.*

(c) Post Chalcedonense igitur Concilium hæc debito honore & loco & ordinæ collocanda sunt. *Ibid. c. 7.*

Hunc vero Majores vestri morem cum aliis numero plurimis mutuati ab Africanis tuerant, apud quos ex Canone quoque & æquabili usu ille vigerat, ut quas à Conciliis vel à summis Pontificibus de doctrina & disciplina regulas accepissent, frequentissimis ex omni Africa Synodis probatas promulgarent, ea semper usi libertate, ne quas admitterent dissidentes à majorum placitis aut Ecclesiarum juribus; quod in causis Celestii, Appiarii, Trium Capitulorum & aliis observatum est. Hunc itidem morem in Italiâ quoque viguisset didicimus ex Epistola S. Ambrosii & comprovincialium Episcoporum ex Synodo scripta ad Siricium, quâ latam ab ipso in Jovinianum sententiam suo calculo confirmant: hunc à Gallis Cisalpinis & Transalpinis hausimus qui efflagitantibus per Epistolas S. Leone & S. Martino primo, Epistolam ad Flavianum, secundi in Monothelitas judicium laudavere ac confirmavere, quod sic rogaverat litteris scriptis ad Sigibertum & Dagobertum Reges, nec non ad S. Amandum: hunc morem secutas legitimus omnium per Orientis imperium Provinciarum Synodos, quæ Leonis Imperatoris curâ celebratæ ad recognoscendam auctoritatem Concilii Chalcedonensis: hunc & nostrates Galli, cum antea, tum abhinc semper secuti apud Francofurtum, ubi de causis Felicis & Elipandi, necnon Sacrarum Imaginum, & in Conciliis quinque, quorum duo plenaria, habitis occasione asserendi dogmatis de duplici Christi Domini voluntate, & operatione; apud Tre-

Trecas præfente Joanne VIII. Pontigonum, Mozumum, Biturigas, Blesas & omnes ferè Metropoles, ubi de Diplomatis Pontificiis, de Synodorum quoque generalium sanctionibus deliberatum est.

Cùm autem ea semper conditio promulgationis ineundæ à primis Ecclesiæ temporibus ubique & æquabiliter adhibita fuerit, ut per Episcopos in Synodis res illa conficeretur; neque hujus moris primùm inducendi nova lex, nova occasio abhinc facta natave deprehendatur, illa necessario retinenda est pro lege quæ Apostolos ipsos aucthores habeat; quod sæpissimè adductum à S. Augustino adversus Donatistas: *Quod enim, inquit, universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolicâ traditum, rectissime creditur.* Quo argumenti genere S. Doctor causam iterati baptismatis adversus Donatistas invictissimè confecit.

L. 4. contra
Donatist.
c. 24.

Sanè nec Toletanæ Synodi XV. Patres arbitrati sunt, aut ad se non pertinere recognitionem censurarum Pontificiarum, aut non nisi obedientiam citra examen omne his deberi, aut sibi de illis extra Synodum agi decere. Sed cùm comperissent librum à S. Juliano juris publici factum graviter à Benedicto II. notatum fuisse; eam verò quam præfert fidem concinere cum fide & sententiis SS. Athanasii, Augustini, Ambrosii, Hilarii, Cyrilli, Fulgentii; ejus patrocinium in se suscipiendum frequenti Concilio censuerunt, ac scriptam à Juliano

B

de-

defensionem confirmarunt. (a) Porro quos illi spiritus, quos animos gererent, ex adductis hoc loco eorum dictis, vos ipsi, quaeso, colligite: denique ferunt historiae vestrae gratissimam accidisse Sergio, Benedicti II. successori, eruditè ac liberè prolata, à vestratibus Episcopis Pontificiae censurae reprehensionem.

Jam verò, quoniam iudicii dicendi de causis fidei, cum priusquam Pontifex maximus Conciliumve proferant, tum postquam tulerint, praerogativa ad Episcopatum jure divino pertinet, uti ex constanti omnium retrò saeculorum usu, & perpetuo SS. Patrum

(a) Jam verò si quis contra hæc (prolata ex libris momenta SS. Patrum) ulterius non instruendum, sed contrarium se huic redditæ rationi præbuerit, damnationem præfati Concilii (Chalcedonensis) sustinebit. . . quos (SS. Patres) quia celebres in toto orbe doctores feriatæ Ecclesiarum Dei vota percenscant, non illis est succensendum, sed potius succumbendum, quia omne quod contra illos sapitur, à rectæ fidei regulâ abhorreere sentitur. . . Jam verò si post hæc & ab ipsis dogmatibus Patrum quibus hæc prolata sunt, in quocunque dissentiant, non jam cum illis est amplius contendendum, sed majorum directo calle inherentes vestigiis, erit per divinum iudicium amatoribus veritatis responsio nostra sublimis, etiamsi ab ignorantibus æmulis censeatur indocilis. *Con. Tolet. XV. c. 25. 26.*

Hanc controversiam (inquit Cardin. de Aguirre in notis ad Conc. Toletan. XV. t. 3. p. 730. tom. 2. collect. Concil. Hispan. edit. Rom.) his verbis describit Rodericus Toletanus Archiepiscopus lib. 3. c. 13. In tempore liber de tribus

trum & Synodorum sensu manifestè constat ; rogo vos , eane interverti , aboleri , præscribere usquam potest contraria aliquâ consuetudine , vel lege humanâ , aut tota ab Episcopis ad novitios Magilstratus transferri ; an verò possit esse ratum ac legitimum quod præter dominicam illam dispositionem committeretur.

Sed & cùm Sixtus IV. Romæ frequenti Consistorio & Concilio , plurimos errores Petri de Osma Apostolico mucrone confodisset , præhabita per Toletanum Archiepiscopum in partibus multiplici inquisitione , Diploma Pontificium non ad Inquisitionem generalem , sed ad Archiepiscopos & Episcopos omnis Hispaniæ direxit , à quibus suis Ecclesiis innotesceret.

Apud nos autem auditum nondum fuerat constantissimam Hispaniarum Ecclesiam ab avitâ illâ & cæterarum Ecclesiarum con-

B 2

sue-

bus substantiis , quem dudum Romam miserat Primas sanctissimus Julianus , & minùs cautè tractando Benedictus Papa Romanus indixerat reprobandum , ob id quod voluntas genuit voluntatem. Sed S. Julianus veridicis testimoniis in hoc Concilio ad exactionem præfati principis Flavii per oracula eorum quos Romam tranlmiserat , verum esse firmavit , Apologeticum fecit , & Romam misit per suos Legatos quod Romanus Pontifex dignè & piè recipiens , cunctis legendum indixit , atque acclamando , *Laus tua Deus usque in fines terra* , lectum sæpius notum fecit , qui & rescriptum Domino Juliano cum gratiarum actione & honore remisit , & omnia quæcunque scripsit , justa & pia esse depromptit.

suetudine descivisse, sed ne nunc quidem descivisse nobis verisimile est. Legimus enim ac propè memoria retinemus, ad legitimam Concilii Tridentini promulgationem, non suffecisse Inquisitoris operam qui sacro-sancta de fide, de moribus, de disciplina, decreta proponeret; sed eam in rem Philippi II. religiosissimi perinde ac potentissimi regis nutu habitas ex consilio Episcoporum frequentes Synodos in America, in Hispania, in Sicilia, in Longobardia, & Belgio, dum & habebantur in Germania, & in Gallia; Poloniaque parabantur; quam solemnitatem postulabat non tam concilii conditio, quod pro œcumenico jam à principio in Hispania audiebat, quam primæva & constans Ecclesiæ vestræ consuetudo, nec non Canonum & morum Ecclesiasticorum ratio, atque etiam Ecclesiæ utilitas adversus hæreses infinitas, à quibus undique concutiebatur.

Cum autem absoluto Concilio Tridentino Pius IV. edidisset novam fidei formulam ab omnibus præstandæ, eamque Synodus Cameracensis anno 1586. Tit. I. c. I. emittebat, ab omnibus Ludi magistris, Typographis, Bibliopolis; & supplicasset regis majestati, ut ejus nutu eandem emitterent Magistratus omnes, Philippus discussis Synodi decretis, non paucas modificationes adhibuit, fidei verò professionem ab his emitti jussit, non juxta formulam à Pio IV. propositam, sed juxta breviorē edicto suo expressam. Utque recentiore utar exemplo à Belgii quidem provincia petito, sed à Regibus Catholicis probato, expoſtu-

latione instituta anno 1657. apud supremum Brabantiae Concilium, declaratum subinde anno 1660. *secundum mores antiquos, nullas Bullas Apostolicas, quas tamquam dogmaticas, quis publicare vellet, nisi eadem Bullae in praedicto Concilio visae ac ibidem pro dogmaticis fuerint recognitae, quodque publicationes aliter factae subjectae erunt cassationi.* Actum die 17. Martii 1660.

Equidem nullus capio qui dici possit unius Inquisitoris Generalis auctoritatem apud vos eo adhiberi oportere, in quo & Regum vestrorum summa pro suo modo ex antiqua Ecclesiarum, Hispanicae praesertim, institutione, adest auctoritas; atque illa quidem quae vel temperet decreta, tranquillitati publicae alioqui non satis accommodata; vel proponenda differat, vel etiam interdum obstat quominus proponantur. *a* Quam Vestrates quoque Theologi & utriusque juris periti, ac Senatus tuentur ac commendant; nisi forte comminiscamur praeposterè rogatos & exoratos Augustos Principes, qui in tam praeclearo facinore partes praestarent suas, aut sacrilegos fuisset

B 3

se

a Hieron. de Cevallos. tract. de cognitio. per viam violen. in causa Eccles. Coloniae Agrip. an. 1620 p. 89. *Si Bullae Apostolicae expediantur contra jus & Canones & Concilia generalia, & in manifestum damnum reip. &c.* Rodriguez 1. tom. reg. quaest. 6. art. 8. Salgado de Somoza tract. de supplicatione ad Sanctissimum, de litteris & apostolicis nequam & importunè impetratis in perniciem reip. regni aut regis, & de earum re-

ca.

se qui præstiterint ; ac nominatim qui ob-
stiterint inducendæ in suas ditiones Bullæ,
cui à *Cena Domini* nomen inditum, quod
ipsis aliisque regibus commune jus ac so-
lemne semper fuit ; nec non & alteri edi-
tæ à Pio V. de qua Garcias. *Parte 2. de*
Benefic. c. 3. n. 70.

Quod si à Majoribus vestris tam solli-
citè tam laboriosè provisum est occasione
Conciliorum Constantinopolitani & Tri-
dentini supremam & irrefractabilem autori-
tatem à seipsis obtinentium, quod profi-
temur omnes, ecquis cordatus modò sit,
tam tenui operâ, imo, quod prædicatis,
nullâ opus fuisse concesserit, ubi ageba-
tur de suscipiendo diplomate Pontificio, cui
Romæ quidem non satis matura delibe-
ratio præmissa fuerat ; illi verò quorum
maximè intererat, quibus & exploratissi-
mum argumentum in quo versatur, à prin-
cipio oblectabantur. Quale autem illud
sit, paucis æqui bonique accipite.

Nullum aliquando gravius ampliusque ar-
gumentum Jerosolymis, Niceæ, Ephesi,
Chal-

tentione. Madriti an. 1639. Ibid. c. 2. f. 3.
P. 32.

Covarruvias practica quæst. c. 35. n. 6. & va-
riar. resol. l. 2. c. 8. Belluga in speculo Princi-
pis, Rubrica 13. v. Restat. Pater Enriquez to-
3. tr. de Pontif. Clave l. 2. c. 11. §. 3.

Idem in Lusitania jus ad an. usque 1486. illi-
batum stetit: intercessere regni Magnates & Ju-
risperiti quominus à Joanne II. rege juri cede-
retur. Manuel Eques in Histor. Joan. II. lib.
4. &c.

Chalcedone, Constantinopoli, Florentiæ, Romæ pertractatum est, nullum quod magis Ecclesiæ ac Reipublicæ referret; at nullum unquam, vel tenuissimum, quod ad fidei morumve rationem pertineret, non maturiore cum consilio disceptatum. Scilicet expendendæ erant centum & una propositiones, quarum argumenta partim naturâ suâ sublimia, partim quæstionum subtilitate intricatissima, partim varietate difficillima, multa cum regnorum pace & salute conjuncta; nec tam illæ ab auctore concinnatæ, quàm ex Conciliorum, Summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum libris exscriptæ. Præterea quod non minorem operam postulabat, non solum per Pontificium diploma interdictum est lectione versionis Gallicæ, qua usus est Auctor propositionum, sed & tum de illius affinitate cum ea quam Clemens IX. proscripsit, nullis designatis partibus propter quas judicavisset censurâ dignam esse; tum de ejusdem dissidio à nostrâ Vulgarâ latinâ; adeo ut sine diligenti trium illarum versionum secum invicem collatione, ea pars Constitutionis confici minime potuerit: in quo uno capite quantum laboris, quantum eruditionis impendendum per multos menses, imò & annos fuisset, intelligunt ac fatentur, quibus perspecta est argumenti difficultas & amplitudo. Atqui cum propositionum, tum interpretationis negotium omne susceptum, contractatum, ac confectum est à Cardinalibus vix quinque, ac totidem circiter Theologis, quamquam, teste Palavi-

cino, Theologi supra centum, Episcopi supra trecentos Tridenti suam operam per annos ferè viginti contulerint. Quales autem illi sint, quàm in rebus Theologicis parùm versati, quàm Gallicani ac Græci idiomatis parùm periti, nulli modò attinet invidiosè, quamquam necessario, inquirere. Denique quis non miretur quòd non auditi, non interrogati, sed nec moniti quidem Autor, Episcopi, non ii quorum res agebatur; unde Romæ deliberantibus non solum æquitas, sed & lux plurima affulgere potuisset; admixtæ verò solum fuerint occultæ delationes ac machinationes eorum, qui apertas inimicitias cum Autore propositionum, cum Episcopis qui libro faverant, jam pridem profitebantur: unde profectò ab illis effectum, ne Pontifex, Cardinales, Consultores Romani adverterent, quod res est, plerasque propositiones quòd à suis locis avulsæ fuerint & bona ex parte diminutæ, non referri ex fide mentem scriptoris; multas in alienum sensum ex ignorantia vel mala fide interpretis detortas fuisse; vix aliquam occurrere, cujus defensio explicatione ab ipso libri contextu proposita facillè non eluceret.

Itaque cum primùm ad nos allata est Pontificia Constitutio, omnes, vix exceptis qui rem per occultas artes promoverant, palam obstupescere, dolere, conqueri cœpimus; quòd familiares SS. Patribus rerum verborumque sententiæ proscriptæ fuissent; quòd non parvum sacris vocibus; quòd gravissimis notis affecta

fecta innocua eaque probabiliora scholarum placita ; quodque dictu gravissimum ac aliàs incredibile, quòd summorum Pontificum dicta , jura populorum , morum Christianorum integritas , plurium dogmatum veritas , penè religionis Christianæ summa peti ac labefactari viderentur ; denique quòd inauditus & indefensus , innocentium more , vapulasset Autor propositionum , quamquàm audiri , docilem animum professus , postulasset. Itaque nemini dubium fuit, quin à summo Pontifice per obreptionem & subreptionem Decretum fraudulenter expressum fuerit.

Enim vero quantacunque sit Pontificis Romani in causis fidei autoritas, quæ profectò magna est, eâ nihilominus rerum indagatione, ea deliberatione ipsum uti necesse est, quæ argumenti magnitudini respondeat ; quod Apostolorum exemplo, Decreto quinti Concilii generalis, omnium Ecclesiarum & Theologorum consensu nititur ; ut Deum tentanti similis futurus sit, qui sine gravissimâ ac diuturnâ consiliorum maturitate pronunciaverit. Hinc semper obtinuit ut non nisi ab Episcopis frequenti Synodo conderentur fidei definitiones. Hac ratione ducti summi Pontifices, ex canonum lege, quotannis duas ex sua Metropoli Synodos agebant, interdum & plures, si qua justa causa postularet, aut si qua occasio se offerret ; hæcque si foret gravior, aut ex remotioribus provinciis Episcopos advocarent, vel ipsi in distitas regiones celebrandarum causa proficiscerentur : quarum quidem exem-

A&. Apo-
stol. c. 15.
Conc. 5.
general.
Collat. 8.
Bago.

pla

pla occurrunt numero plurima. Denique recense, ut lubet, placita Theologorum, vel quibus id negotii solùm fuisse videtur ut Pontificiam potestatem amplificarent, nullum, sanè nullum reperies, qui non statuat multò plurimas condiciones præire oportere Decreto quod ex Cathedra utcumque pronunciatum existimetur, præter illas quæ ad condendam nuperam Constitutionem adhibitæ sunt.

Sanè, ut ad Hispaniarum historiam & res identidem respiciamus, multò graviores ac numero plures diligentiaè modos adhibuit Sixtus IV. cum de investigandis Petri de Osma erroribus cogitavit. Archiepiscopus Toletanus quidem, accitis secum plurimis in Theologia Magistris, diligenter inquisivit in doctrinam Petri de Osma apud ejus discipulos, amicos, familiares, diuque in erroribus notandis elaboravit; Pontifex autem Romanus, non nisi novo per Cardinales nonnullos adhibito examine, mox frequenti Consistorio, cui conjunctum familiare Concilium, deque omnium adfessu, judicium tulit, quemadmodum ipse narrat dato in Petrum de Osma Diplomate, quod refert eruditissimus Cardinalis de Aguirre Collect. Concil. Hispaniæ Typis Romanis editæ pag. 686. tom. 3.

Cùm autem omnibus pene Galliarum Episcopis, Cleris & Ordinibus viderentur gravissima propè diem incommoda in Republicam christianam profectura ex recenti Constitutione, si damnatæ propositiones intelligerentur, secundùm illum sensum

sum quem omnium Gallorum animis hactenus obtulerant ; placuit ex studio retinendæ pacis ac consulendi existimationi Sedis Apostolicæ , in quam redundatura putabatur injuria spretæ Constitutionis , quamquam plurimum diversa sit ambarum causa ; placuit , inquam , nihil non tentandum quo Decretum per expositiones adhibendas juvaretur. In eo autem illæ positæ sunt , ut valori terminorum publicè usurpato , ac sensui , qui se omnibus offerebat ab annis supra quadraginta , non ante auditus sufficeretur ; in eoque comminiscendo & adornando quatuor menses impensi , ac demum non tam arte quàm autoritate , minas , exilia , infortunia intentante oblocuturis , illæ compositæ & palam prolatae ; absurdo quamvis & inutili temperamento. Quî enim ab humani generis conscientia obtineri possit , ut ex interpretis arbitrio æquivocum foret , quod hactenus perspicuum fuerat ; ut lux in tenebras , dulce in amarum , veritas in mendacium , fides in errorem converteretur , quò reapse expositionum intentio desinere creditur.

Quod expositiones à summo Pontifice expetendæ essent , mens primùm fuit Episcopis plerisque Constitutioni patrocinantibus , causatique , sibi non satis comperitam esse Pontificis intentionem , ne dicerent illi obvios non fuisse propositionum genuinos sensus , earumque cum sana & innoxia doctrina affinitatem.

Mox scissis studiis plurimi , ne offendere viderentur Pontificis animum , con-

tenderunt expositiones abs se Episcopis proferri posse. Novo mox, & aliàs inexpectato quæstionis genere disceptatum, utrùm necne acceptandi diplomatis conditio absoluta fuisset à prolati per Episcopos interpretationibus. Episcoporum exigua pars à principio inficiabatur pendere, maxima asserebat: universi palàm in urbe voce adlaborabant, ne putaretur non pendere, partim ad placandam cæterorum omnium conscientiam & religionem inde multum anxias, partim ad collocandas in tuto regulas fidei, morum, ac pernecessariæ disciplinæ; interim bona pars nihil non clanculum moliri, ne reapse pependisse crederetur à posteris: quam in rem usi ambigua admodum agendi scribendique ratione, quæ in utramque partem converti ab ipsis posset, secundùm quodd postulare occasio. Adeo nihil apertum, nihil simplex in hoc religionis negotio occurrebat. Denique qui differendam censebant Constitutionis promulgationem, hoc causabantur, quodd non nisi Deo & Pontifici maximo perspecta est interpretatio prolatis iudicii, quam decreti verbis non satis explicatam esse universi dictitabant; indè pendere decreti veracitatem: cæterum paratis aliunde interpretationibus minimè juvandum, quod susceptum fuerat, obsequii præstandi consilium: denique multò satius esse, & ex proniore erga Sedem Apostolicam reverentiâ, ut à Pontifice maximo expectaretur declaratio ad rem opportuna eademque penitus necessaria: nec verò de-

ce.

cere veracitatis Christianæ simplicitatem, ut ad novas artes, quod exposituris Episcopis vitio vertebatur, confugiendum sit, per quas propositionibus huc usque inoffenso pede, multa saltem ex parte, lectitatis, pravi sensus, prava mens affingantur; at nec illas expedire paci Ecclesiasticæ, quæ à veritate & simplicitate se jungi nequeat: ad fidei veritatem rectè & candidè ambulandum esse: Apostolicæ verò Sedis hanc multò maximam gloriam esse, ut astutias hominum dedignetur & occulta quæque dedecoris à se procul amoveat: quod eventu quoque mox palam comprobatum est.

Nam undè plerique spem instituerant colligendæ fraternitatis & tuendæ famæ Pontificis maximi & Apostolicæ Sedis, non nisi enata dubia & dissidia: abhinc per multas scriptiones impetita ac penè pessumdata novellæ Constitutionis autoritas: abhinc magis in dies aversæ Novatorum mentes ab Ecclesia Romana: abhinc infirmis in fide mille objecta scandala: abhinc incredulis opproprium facta est sacro-sancta Religio, quæ videretur ludibrio esse versipellium hominum ambitui ac temeritati: hinc denique ortum habuere turbæ omnes quibus Ecclesia Gallicana movetur; adeo intempestiva, præpostera & inauspicata fuit ratio illa reverentiæ erga Sedem Apostolicam, cui non satis consultum fuisset à summo Pontifice per Constitutionem.

Undè liquidò patet Decretum *Unigenitus*, nec solemniter ab Ecclesiâ hactenus

nus susceptum fuisse in Conciliis ; quæ nulla habita sunt ; nec altero illo acceptationis modo consignatum , qui tacitus dicitur : indeque is conficitur , quòd doctrina ex definitione etfi aliàs aberrationi obnoxia , evadat in partem ejus quæ publica ac familiaris , quamque ubique tradant pastores , plebès audiant , universi complectantur ; hunc autèm non aliunde itidem parari certum est , quàm ex unanimi definitionis apud omnes & interpretatione , & propositione , & credulitate. Cùm autem nec summus Pontifex propriam sui sensus interpretationem protulerit aut proferre velit ; nec ab aliquibus temerè conjectatam probaverit ; nec Episcopi se affectuos esse affirmare queant ; plurimum autem in modum in re promovenda inter sese dissideant , nemini dubium esse potest , quin conditio Constitutionis in eo statu hodieque hæreat , ut neque acceptata fuerit , neque acceptari possit quandiù silebit Pontifex à quo profecta est.

Quemadmodum autem causari magis lubet , compertam summo Pontifici non fuisse vim Gallici idiomatis , quo conceptæ sunt 101. Propositiones , ne jure dicatur confixisse immerentes ; ita constat , ut brevitatis causa mittam cætera , non fatis , nec aptè à nobis intelligi posse , duas , quibus usus est , voces , ut cave-ret ne quis propositiones *conjunctim* , aut *divisim* tueretur , quamquam ab iis pendeat propositionum interpretatio , & Decreti autoritas. Harum autem vocùm expo-

po-

positio non uniusmodi est, vel apud ipsos Constitutionis defensores, adeo nulli sibi constant, aut unà secum cohærent. Alii commenti propositiones damnandas, partim quales in Decreto Pontificio leguntur, separatæ à contextu libri unde excerptæ sunt, partim quales cum ipso contextu connectuntur; quod sanè & cogitatu absurdum, & dictu inutile, cum minime definiant, quænam ad alterutram classem pertineant. Verò similis dicunt, qui has voces propositionibus ipsis ascribunt, ut vetitum sit à SS. Pontifice, ne quis eas omnes, aut earum partem aliquam doceret, defenderet.

At ne hi quidem rem omnem conficiunt, aut dubia inde nascentia diluunt. Cum enim pleræque propositiones coalescant è pluribus, quas simplices vocant, quæri rursus debet utrum necne simplices quoque omnes, an singulas proscribi ve it summus Pontifex: ac si quidem singulas, evidens fuerit plurimas ab illo proscriptas fuisse, quæ apertè sunt innocuæ, catholicæ, necessariæ quoque: si verò de integris propositionibus accipiendæ sint illæ duæ voces, duo inde gravissima incommoda consequuntur; alterum quòd innocuæ illæ propositiones permixtæ & indiscriminatim cum aliis proscribendæ sint; alterum quòd non alius integrarum sensus sit proscribendus, quàm qui ex omnium simplicium commixtione exprimeretur: quorum primum ab omni ratione alienum; secundum autem non nisi dubiorum & dissidiorum in Ecclesia

se;

ferendorum feracissimum ; utrumque verò necessariò postulat ut SS. Pontifex edisserat, ecquæ tandem sunt propositiones simplices , quas iniustæ per Constitutionem notæ afficiunt ; tum verò ecquis sensus ille sit quem ex pluribus expressum velit , ne non assequamur suum , aut etiam pro pane lapidem , & pro pisce scorpionem sumamus ; sin minus , non nisi ancipites semper hæreamus , utrum necne à veritate ipse aberraverit.

Ep. 3. ad
Card. de
Bossuet

Mirari profectò subit , quod pace vestrâ dictum velim , qui scribi à Salmanticensibus Magistris potuit *se amplexos Constitutionem Unigenitus* , uti justissimam , utilem , maximèque necessariam ad profligandos errores , qui monetis Epistola ad Collegium Sorbonicum nullam ad Salmanticenses à Cardinale Inquirentore propositam specialiter Constitutionem. Quasi verò dici possit susceptum ac comprobatum Diploma à Theologis fuisse , aut iudicatum necessarium atque utile , quod apud illos ne prolatum , ne lectum quidem. Nam , ut alia silentio præteream , hoc differt acceptatio quæ fit à Theologis , à Pastoribus , & cæterorum obsequium ; quòd illi canonem doctrinæ rimari ac distinctim intelligere debeant , quem mox aliis interpretentur , doceant , explanent ; cæteris orthodoxis sat interdum esse potest , ut parato sint animo ad obsequendum fidei & supremæ auctoritati Ecclesiæ proponentis , cum exposita distinctim sibi fuerit veritas. Quo verò constet acceptatio tacita omnium quæ pro-

posita essent à iudice aberrationi obnoxio, necessum est ut Pastores distinctim rem eloquantur, & plebes distinctim audiant, & distinctim credant tum pastores & plebes : quí verò distinctim doceri, audiri, credi potest, quod non propositum, non lectum, non à docturis accuratè intellectum.

Absit fanè, Viri Reverendissimi, absit, ut propensam, atque festinantem ad obsequendum Apostolicæ sedi, ejusque interpreti summo Pontifici voluntatem vestram non plurimi faciam, non multis laudibus prosequar; absit ut non dicam plurimum commendandam esse quam præfertis pro illâ æmulationem. At pace vestrâ dixero, necesse est utraque ut sit secundum scientiam, secundum canones Dei spiritu conditos & totius orbis reverentia consecratos, secundum Conciliorum Patrumque sententias. *Aliud sunt sedes*, quod scribit S. Leo, *aliud Præsidentes*; itaque aliud summus Pontifex, aliud sedes Apostolica; aliud Doctor, aliud Cathedra; aliud sanguis & caro Petro movens affectus humanos, aliud Pater qui de cælo revelat. Jubebat Christus ut audirentur Scribæ & Pharisei, servareturque quod ex Cathedrâ Mosis, id est à Mose traditum edocerent: at eosæm vehementer arguebat quòd Mosaicæ doctrinæ admiscerent in dies multa peregrina & Religioni capitalia; inde cæcos Doctores infimulabat; inde monebat cæcos qui sequerentur in commune præcipitium ituros.

C

I;

Is sanè fit omnibus Christianis animus, ea voluntas, ut promptissimi sint ad credendum quod audiunt à Sede Apostolica, quod à Cathedra, quod secundùm doctrinam, quam omnem *Beatissimi Petrus & Paulus*, ut verbis Tertulliani utar, *Beatissimæ Romanorum Ecclesiæ cum sanguine profuderunt*. Audiant Pontificem maximum successorem & interpretem Petri, præcipuum ac primum in terris Christi Vicarium, audiant, inquam, cùm per eum Petrus loquitur. At si idem, aut Angelus de cœlo à Petri doctrina per improvidentiam abludat; si præterquam quòd Petrus evangelizavit, annuntiet, si rectè non ambulet ad veritatem Evangelii; si quæ Dei sunt non sapiat, meminertis Petrum graviter à Christo reprehensum, Petro Paulum in faciem restitisse, atque etiam voluisse, ut & Angelo, præterquam quod evangelizatum est prædicanti, anathema diceretur. Si meritò dubites vera necne sint, antiqua, an nova quæ à Petri vices agente proferuntur, hæreas quoque; ne dubia pro cœrtis, falsa pro veris, pro divinis humana complectare: utrisque præluet, ac præire semper debet suprema Ecclesiæ fax & potestas. Nosti quam fidem ab Ecclesia cum lacte Christiano hauseris; quæ tibi ac cæteris omnibus communis fides est, ea Petri doctrina est, ea quam Petro e jusque Vicariis satagentibus Româ ad te jampridem allata, non quæ recens obtruderetur; illi demum uni inhære. Si dissidentem novus Petri Vicarius prædicaverit,

rit; cave ne te in aliud Evangelium convertat; attende Paulo monenti ne te moveri sinas; utrumque vero contingere posse, idem Galatas docens, universos monebat.

Neque profectò visum aliquando Hispanicæ Ecclesiæ fuit, quæ Decreta Romano Pontifici adscripta sunt, eadem vel Apostolicæ Sedis esse, quod supponitur Epistolâ ad Collegium Sorbonicum; vel ex Cathedra Petri dimanasse; vel Petri sapientiam referre; aut pro regula fidei morumve indistinctim haberi oportere. Canone primo Concilii Toletani tertii, qui fidei ac disciplinæ apud Hispanos instaurandæ pro basi positus, jubentur quidem *manere in vigore Conciliorum omnium Constituta simul & Sanctorum Romanorum Præsulum Epistolæ*, non autem omnes illæ, sed quæ *Synodicæ*. Concilia autem illa sunt quatuor prima generalia, & quæ *ab illis fidei puritate non dissonant*. Damnatum à sexto Concilio generali Honorium scripsit Leo II. ad Ervigium regem, & ad universos Episcopos Hispaniæ. Benedicto II. quòd sancti Juliani scriptum sugilasset, gravissimè liberèque obstiterunt Patres Toletani, Sergio quoque Benedicti successore eorum hac in causa fidem ac diligentiam comprobante.

Itaque in eo consistat summa debiti Pontifici maximo obsequii, quod vobis cæterisque commune est, ne quis à Sede Apostolica quavis de causa dissidium aliquando faciat; ne adversùs summorum Pontificum edicta temerè se erigat; ne

his obluetur, obloquatur, quamdiu illa cum sanæ doctrinæ vel Ecclesiarum juribus apertè non pugnant: quòd autem universa pro indubitatis, pro ratis haberi debeant, ac sine delectu excipi, non scripturarum, non divinæ, non Apostolicæ traditionis autoritate, non Conciliorum canonibus, non Apostolicæ Sedis definitione aliquâ subnixum est. Vigilio obstiterunt Italiæ, Dalmatiæ, Africae, Illyrici, Galliarum, Angliæ, Hispaniarum Ecclesiæ; Adriano I. non assensere Longobardi, Franci, Angli, Germani; prolatum à Martino I. contra Monothelitas iudicium, quamquam frequenti 105. Episcoporum Synodo, mox & à Conciliis Neustriæ & Burgundiæ, quod ipse expetierat, confirmatum, denuò retractandum, postulante Imperatore, Agatho censuit quod in Synodis per Angliam, Gallias, Longobardiam, Romæ habitis effectum est, quodque ab omnibus unanimiter probatum, in Concilio sexto generali rursus expensum ac denique susceptum est; ibidem proscriptæ Honorii Epistolæ Decretales, atque in ipsum anathema contortum est, quod à successoribus Petri Sedem conscendentibus ex solemni more per plura sæcula repetitum.

Zozimo quòd in Pelagium & Celestium propensior esset, obluetur Ecclesia Africana, observatumque à sancto Augustino, totius Ecclesiæ causam adversus hæreticos homines agente, quòd si in Ecclesiâ Romanâ eorum dogmata approbanda pronuntiarentur, ex hoc potius esset Romanis Clericis

nota prævaricationis inurenda, nedum suscipienda sententia. Hac usi libertate Irenæus, Polycarpus, Cyprianus, Firmilianus, non assensere Aniceto, Victori, Stephano: inde nemine reclamante excusatus Cyprianus ab Augustino, quòd ante Stephani sententiam nondum res in plenario totius orbis Concilio eliquata fuisset.

Eamobrem vos cœci obsequii quibusvis Pontificiis sanctionibus religionem professos fuisse, is sanè sentiat qui animo finxerit illa vobis penitè incomperta fuisse.

Ecquis præterea citra summam vestri nominis injuriam existimare queat, aut placitorum Ecclesiæ Galicane, seu potius Ecclesiæ universæ acceptissimorum, tan foedè ignaros aut adeo inconsultos, ut ad Collegium Theologorum Parisiensem, ad Archiepiscopum & Cardinales Gallos ea scriberetis, de his gratularem, quæ nulli Gallo ferenda videantur: quasi verò fugere vos potuerit illam olim ad omnem Romanæ Curie nutum cœci obsequii Religionem fuisse propositam, ut ambitiosa consilia, Reipublicæ intestina bella, subditorum perduellium ac de regni pace & optimorum Principum salute pertæsorum flagitia, Principum parricidia, Populorum & Ecclesiæ pernicies promoverentur; demum Cardinem à Lotharingâ professum fuisse apud Patres Tridentinos, nullum esse Gallum qui paratissimus non esset ad mortem fortiter oppetendam potiùs, quàm avitam illam doctrinam Scholis Parisiensibus caram & familiarem exueret, & patrias leges prævaricaretur. Quí igitur tantorum

malorum fontem, ceu vestrae reverentiae & pietatis specimen, commendare voluissetis apud Sacrae Facultatis Parisiensis Magistros, quibus solemne semper fuit tueri jura Imperii, & infensis Regno consiliis obsistere; qui apud illustrissimum Episcopum Meldensem de Bossuet, libertatum regni & Ecclesiae fortissimum & eruditissimum vindicem; qui apud Eminentissimum Cardinalem Rohannium, quem natalium splendor, non minus quam colata in inclytam gentem à nostris Regibus beneficia, ad eas retinendas propensioem & festinantioem praestare debeant, qui apud Archiepiscopum Arelatensem oriundum ab iis majoribus, qui semper de Imperio benemeriti sunt, cujus Eminentissimus Patruus Romae semper apud Alexandrum VIII. Innocentium XII. Clementem XI. pro patriis sententiis accuratissime propugnavit. Nisi forte putandum est vos ferorum hominum more, à quo Hispani omnes longe abhorrent, agere voluisse apud viros primarios, invidiosam commemoratione eorum quae ipsos oppido offenderent, facerentque ne vel legerent quidem vestras literas, aut apud se retinerent, ex necessario videlicet regni moribus obsequendi officio.

Cardinalis
de Janson

Denique quod nobis sapientiae divinitus affulgentis lumen per orationes vestras apprecamini, grates referimus, & ut tacere pergatis enixe comprecamur, quod Theologis imprimis semper opportunum, his vero temporibus summè necessarium:

quo

quo videlicet amoveatur tandem ea tenebrarum caligo, quæ jampridem plerisque scholis affunditur ex incuriâ & incitiâ rerum Theologicarum, ex corruptelis quæ in mores Christianos invaserunt non minus à Casuistarum temeritate quàm à pravorum hominum desideriis, ex supervacaneis quæstionibus quæ contentiones multas, nullam Dei ædificationem præstant, ab illâ incredibile *φιλαυτία*, quâ quæ sua sunt quærunt non quæ Jesu-Christi.

Hæc sunt, credite, viri Religiosissimi, quæ summa illa, unde doletis, Ecclesiæ Catholicæ pericula procreant; multò autem gravissima portendunt, magis quam hæreses numero infinitæ, quæ apud vicinas gentes obtinent, & nobis inde imminent. Quantum discrimina illa in dies excrescant, & vires capiant occasione nuperæ Clementis XI. Constitutionis, quis sine lacrimis palam intueri vel audire possit; apud quos circumfertur Sedem Apostolicam à fide Patrum aperte defecisse, violatas unitatem, sanctitatem, manifestam autoritatem Ecclesiæ, Clementem XI. justas diffidii faciendi rationes suppeditavisse, si justis caruere Zuinglius, Lutherus, Calvinus, quibus revera caruerunt; hinc blasphemant homines increduli Religionem inter hominum ludibria habendam, Ecclesiæ doctrinam nutare & mutari in dies, summam reipublicæ Catholicæ ex paucorum arbitrio Romæ componi secundum hominum consilia existimantium quæstum esse pietatem, non secundum Canonum æquitatem, & accuratas Ecclesiæ regulas. Hæc impunè

deblaterant, cum nemo sit qui interim occurat, paraturus, quâ eget Constitutio, defensionem, si qua tamen probabilis adhiberi potest. Neque enim putaveritis satis esse ut respondeamus Pontificem maximum in ferendo de doctrinâ Christianâ iudicio non posse à vero abluere, quod apud Romano-catholicorum partem nonnisi opinionis loco est, apud cæteros autem videtur recens & perperam concinnata fabula: egent tempus & occasio decretoriis momentis quæ petantur ex Scripturarum, Conciliorum, SS. Patrum, ac totius traditionis penu, multò inaniore autem commento utuntur, qui ogganniunt Constitutionem ubique olim receptam fuisse ex tacito Episcoporum consensu, quibus ne illa quidem nota tunc fuisset, perinde ac qui fingunt illam Apostolicæ Sedi ascribendam, & quæ Romani Pontificis nomen gerunt, certam semper Ecclesiæ regulam præfigere.

Cæterùm Summo Pontifici Clementi XI. una comprecemur annos diuturnos & viscera misericordiæ, ut compatiatur tam multis malis quibus sui Diplomatis occasione Ecclesia Galicana conflictatur; det illi Deus apertos oculos cordis, non solum quibus illa secum ipse recenset, sed quibus tandem aliquandò avellendis, amovendis, prævertendis incumbat, quibus suâ Constitutione occasionem dedit. Satis eo sit, ut fateatur quod res est, illam obreptitiam & subreptitiam esse: & quo tam necessarium, tam divinum consilium juvaremus, duo hæc à principio fuimus professi

fessi; primum plerosque, quos propositiones sensus exponunt, liquidò orthodoxos esse vel innocuos; diversos Pontificiæ menti occurrisse quos damnaret, ex Gallicæ linguæ imperitiâ, & inquietorum hominum fraude; nobis eâ in re magis credendum quàm cæteris, imò unis à quibus cæteri vim verborum addiscere debeant. Tantine interesse potest Curia Romanæ, vel Summi Pontificis, ut ne id fateatur ac exponat, profcindi debeat Ecclesia, scandalizari infirmi in fide, contristari iusti, universi lamentum induere, & nomen Dei bonus odor Christi, Religionis Christianæ veracitas, Sedis Apostolicæ Principatus blasphemari in gentibus. Ergo ne in scientiâ Summi Pontificis perire decet fratres pro quibus Christus mortuus est, tolli de medio pacem quam Christus Ecclesiæ paravit; & propter Curialium Romanorum imperitiam, versutiam, pertinaciam, oppositio- nem falsi nominis autoritatis, gravius con- turbari regnum Dei.

Videte autem & vos ipsi, ne arbitrati obsequium vos præstare Deo augeatis præ- senti incendio vires, specie infundendi olei vulneribus Ecclesiæ: unum est quod suf- fecerit impetrasse à vobis, ut seposito par- tium studio plerasque propositiones con- legatis, eas conferatis cum receptâ apud omnes christianos fide, & cum probatis apud Scholas Catholicas placitis: cui æ- quissimæ conditioni unam addi velimus, quamvis non ubique necessariam, nempe ut à fido homine ex opere integro illæ propositiones vobis exhibeantur, & latino
idi-

Idiomate donentur; unde certò, ac confestim deprehensuri fueritis, & fraudem delatorum ac interpretum, quibus opportuna fuit curia Romana; & propositio- num saltem plerarumque genuinos sensus, nulli Catholico non probandos. Interim pro certo illud habetote eo majori in pretio futuram apud omnes, de Ecclesiâ autem atque de Sede Apostolica eo potioribus officiis optimè promerituram esse vestram religionem, quò diligentius vestræ adversus Summum Pontificem reverentiæ addetis præterea tenaces animos jurium Hispanicæ Ecclesiæ, ac sinceræ veritatis, secundùm regulas à Majoribus vestris, in Conciliorum Decretis, in SS. Pontificum responsis ac Diplomatum suscipiendis constitutas & usurpatas regulas: hæc à vestrà æquitate pro veritate, pro Ecclesiæ pace à vobis enixissimè postulat vestri observantissimus.

D. P. C. V. B. M. A. L. Licentia-
tus Theologus.

i. *Novembris* 1717.

EX

E X A C T I S

SACRÆ FACULTATIS
P A R I S I E N S I S

ANNO Domini millesimo septingentesimo decimo sexto die primâ Octobris, Sacra Facultas post Missam de Spiritu sancto solemniter ex more celebratam habuit sua comitiâ generalia ordinaria, in quibus.

IV. S. M. N. Ravechet D. Syndicus monuit circumferri passim epistolas quinque scriptas nomine Universitatis Salmanticensis, quæ omnes eo pertinent, ut falsi declarentur rumores per mensem Junium & Julium de industria in urbe sparsi, quod Constitutio *Unigenitus* à dictâ Universitate repudiata fuisset; harum ultimam inscriptam esse ad *Illustrissimum Collegium Sorbonicum Universitatis Parisiensis*, sibi verò nullam hæctenus allatam fuisse cum eâ solemnitate, eâ munitam authenticitate, quæ deceret ac fidem faceret, quod ab Universitate Salmanticensi reapse perfecta fuerit; seque vehementer vel ex inscriptione dubitare, utrum, & si ab ipsa scripta fuisset, pertineat necne ad Sacram Facultatem, quæ *Collegii Sorbonici* nomine designari minime solet. Cæterum in iis litteris quinque nihil sibi occurrisse quod ad Sacram Facultatem attineat, vel ipsius aliquantum intersit, aut rem, de qua in illis agitur, aliquantisper promoveat.

1. Quod quæ fertur scripta ad SS. Pontificem munita quidem videatur Sygraphis novem virorum, Salmanticenses se profitentium, non item sigillo Universitatis; neque hos meminisse alicujus deliberationis quæ prævissset, vel habitæ Congregationis quæ jussisset, aut testari à se vel Universitatem omnem referri, vel ipsius nomine scriptas litteras; quod profectò decuerat atque etiam oportuerat: demum incredibile videri, ut in epistolis solemniter subscribendis nullus è Carmelitis, nullus è Dominicanis affuerit; tametsi Salmanticensis Universitatis maxima potissimaque pars utriusque semper fuisse perhibeantur.

2. Quod epistolarum auctores tam supinâ laborant incuriâ & ignorantiâ rerum quæ ad Hispaniæ Ecclesiam pertinent, & quæ hîc aguntur, ut qui præclaram & sagacem Hispanorum indolem noverit, animum nunquam inducturus sit, ut credat illas ad Hispanis hominibus, nedum à Salmanticensibus Magistris scribi potuisse. Nimirum ferunt epistolæ morem hunc vigere in Hispaniâ, ut propositis per Inquisitorem Generalem quibusvis Constitutionibus modò Romæ fuerint editæ, obedientia ab omnibus paratissima sit. Morem verò hunc D. Syndicus adnotavit, non esse avitum & legitimum illum quem commendatum adoptavit Concilium Tolertanum tertium, quem & cæterarum Ecclesiarum more laudavere atque usurpavere Concilia item Toletana 4. 14. 15. & quidem partim efflagitantibus, partim com-
pro-

probantibus SS. Pontificibus Sancto Gregorio M. Leone II. Benedicto II. & Sergio I. à quibus Synodis existimatum ac declaratum est, ad Episcoporum potentissimæ Monarchiæ jus pertinere, ut confirmarent ac promulgarent non quævis indistinctim Pontificum Romanorum decreta, sed quæ Synodica; quæque perinde ac alia etsi à Conciliis Generalibus proposita, comperissent consonare regulis fidei propositis jam per Synodos in Hispania receptas; qui erat solemnis acceptationis apud Hispanos instituendæ modus. Adjecit D. Syndicus commemoratum iisdem epistolis morem æque diversum esse à recentiori; quem secuti & Sixtus IV. misso ad Archiepiscopos & Episcopos Hispaniarum diplomate, quo confixit errores Petri de Osma, de quibus damnandis procuraverat antea, ut ageretur in Toletana Dicecesi, quosque non solus sed frequentissimo Consistorio & adhibito Clero familiari, deque ejus adfessu, confixerat; & Philippus II. qui non ejusdem Inquisitoris operâ usus est in promulgandis sacrosanctis Decretis Concilii Tridentini, quin & non nihil temperandis iis quæ spectant ad disciplinam, sed ope Synodorum authoribus quoque ipsis Episcopis celebratarum per Hispaniam, Americam, Siciliam, Longobardiam, Belgium; dum & similes per Germaniam, Galliam, Poloniam cogerentur, pararentur; ex Canone & omnium retrò sæculorum usu receptissimo; & à V. Synodo Generali comprobato. Nec sane acceptatam aliquando in Hispaniæ ditio.

tionibus Bullam *In Cæna Domini*, quot annis Romæ solemniter promulgari solitam; immo eundem Regem vehementer excanduisse adversus Nuntium, qui illam publico in foro exposuerat. Ita demum sentire ac docere Jurisconsultos Hispanos.

2. Observavit D. Syndicus nihilo sibi verosimilius videri, ut providi Salmanticensis scripserint die 19. mensis Augusti ad Eminentissimum Cardinalem de Bossuet Meldensem Episcopum, ceu ad egregium vindicem Constitutionis *Unigenitus*, qui ab annis supra duodecim diem ultimum clausit, nec purpuram Romanam ornavit, etsi doctrinæ lumine Ecclesiam omnem illustraverit; libro verò unde exscriptæ propositiones, quas notat Constitutio, patrocinium quoque præstitit: ac multò maxime præposteram esse authoris Epistolæ diligentiam, qui de Hexaplorum censurâ nondum ad anno conditâ, eruditissimo Præsuli ab annis supra duodecim mortuo gratulatur.

Denique multùm abhorrere ab omni sensu modestiæ & humanitatis, quo plurimùm abundat inclita Hispanorum natio, ut viris magnatibus in os ea proferantur, unde hi proferentibus confestim & meritò succenseant: porro neminem esse Gallum, præsertim in Scholis Parisiensibus eruditum, qui patienter admittere possit, quæ quinque epistolis obtruduntur de exhibendo obsequio quibusvis Pontificiis decretis, auditum à Præsulibus quoque Hispanis in Concilio Tridentino, ubi Cardinalis à Lotharingia illam Curia Romanæ existimationem a-

cer-

cerrimè rerudit : ecqui igitur fieri potuisset, ut periti & verecundi Salmanticensēs ea scripsissent ad Gallicanos Præsules, nominatim verò ad nunquam intermōrituræ memoriæ Episcopum Meldensē Dominum de Bossuet, jurium Ecclesiæ Gallicanæ accuratissimum defensore, & ad partem Universitatis Parisiensis, quæ ab incunabulis illa constantissime invictissimeque semper asseruit.

Anno D. Domini millesimo septingentesimo desimo sexto die 4. Novembris post missam de Spiritu Sancto solemnī ritu celebratam, S. Facultas habuit sua Comitīa Generalia Ordinaria. In quibus.

4. D. D. Syndicus expostulationem instituit occasione recentis Relationis quæ ab uno circiter mense à nonnullis in Urbe & per Regni Provincias circumfertur & venditur, non sine plurimo partium studio, non sine gravissima offensione omnium, qui norunt res à S. Facultate præclare gestas. Dixit illam plenam esse admīssis de indutitiā à veritate aberrationibus, eo quidem minus ferendis, quod inscripta, *Relation fidelle de ce qui s'est passé dans les Assemblées de Sorbonne &c.* & legatur icripta ab uno è Magistris qui Comitīis interesse solent; unde Nostratibus atque Exteris apud quos prælo mandata, ac cæteris rerum nostrarum insciis inponi facile possit : in paginis quidem 37. ad Syndicatus sui menses quinque pertinentibus occurrisse sibi supra septuaginta aberrationes, æquivocas narrationes, rerum necessarīarum omīssiones, vel in alia tempora dilationes, capitalium quoque insidiosas dissimulationes, aut, in aliam partem derivationes; illas autem, quæ non paucae sunt, imprimis videri minus tolerabiles, quibus per effrocnem inverecundiam, impingit Sacro Ordini notam non satis proni obsequii nec satis morigeri animi erga Ecclesiam, partium ab Ecclesia dissidentium,

usurpatæ in Summum Pontificem atque in Episcopos potestatis, & de industria violatæ celeberrimæ conclusionis suæ flagitium ceu larva illa conscientiam generis humani abolere, ac fallere in posterum possit. Quæ quidem postquam D. Syndicus aliquanto fusius prosecutus est, adjecit, ex veritatis, Ecclesiæ, S. Facultatis & ex sui Magistratus officio esse, ut Authori, qui se unum è Magistris præfert, quamquam aliàs sibi incomperito, palam apud tribunal œconomicum & doctrinale S. Facultatis dicat actionem falsi, contumeliæ ac calumniæ multiplicis; eamque actionem illi simul dixit; & dictæ actum sibi dari expetiit & requisivit, item & ut in authorem inquireretur.

Sacra Facultas post maturam de propositis articulis deliberationem, cui interfuere Magistri quadraginta supra centum, concessit D. D. Syndico actum dictionis falsi, contumeliæ & calumniæ adversus Libellum Novæ Relationis, jussitque ut inquireretur in authorem, & actus dictionis falsi, contumeliæ & calumniæ à D. Syndico expetitus publici juris fiat; atque unà Relatio qua Lecta est die 20. Octobris adnotationum palam factarum à D. D. Syndico die 1. Octobris circa Litteras qua nomine Universitatis Salmanticensis circumferuntur.

Die verò 18. Novembris D. Syndicus frequentibus comitiis ea die extra ordinem celebratis, iteratò dixit actionem falsi, contumeliæ & calumniæ multiplicis autori libelli inscripti, Relationis fidele &c. ac postulavit ut actus sibi daretur tum iteratæ dictionis, tum quod non comparuisset ille autor, atque etiam ut in eundem autorem inquireretur.

Sacra Facultas ex unanimi sententia 106. Magistrorum qui aderant requisitionem D. Syndici admisit, eique actum iterata dictionis tum requisitionis concessit.

De Mandato D. D. Decani & Magistrorum Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, Du
Bosc, Scriba, & Quæstor.